

probè comminutis admisceri possit, facilè sentitur noxa, quæ exinde ad nos redundat, quæ certè tanta, ut meritò vitam odisse dicatur, qui masticationem negligit, unus siquidem bolus non ritè masticatus plus negotii præbet in ventriculo, quàm tres mandendò benè contriti, eaque propter edentuli plerumque brevioris vitæ observantur.

THES. XV.

Ipsa verò saliva cibus, quamvis probè comminutis, haud ritè miscetur, quando viscidior illa existit, vel planè etiam deficit; quorum hoc ab obstructione & scirrhescentia glandularum secernentium solenne est, vel etiam, si ob vulnera, imprimis genarum, ductus discissi compareant, & saliva in glandulis secreta non ad oris, sed vulneris cavitationem deponatur, quod innuere videtur *Fabr. ab Aquapend. Pentateuch. Chir. l. 2. append. de vuln. gen.* quando ait: quod si propè aures vulnera in facie contingant, versus aurem foraminulum angustissimum, vixque oculis conspicuum appareat, per quod, potissimum si patientes mandunt, magna aquæ lymphidæ copia instar lacrymarum exeat, unum vel alterum sæpè mensem durans. Æquè notabilis est observationum biga, quam *Diemerbræck. Anat. l. 3. c. 24. p. m. 642.* recenset de saliva per integrum ferè biennium è bucca vulnerata exstillante.

THES. XVI.

Deinde læditur illa aut propter Organon, ventriculum puta, malè constitutum, aut propter objectum haud ritè proportionatum. Et quidem quoad prius illud duo iterum considerationem merentur, parietum videlicet ventriculi tonus dejectus, & menstruum solvens à statu naturali recedens.

THES.